

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



4
I. N. J. A.
INTRODUCTIONIS AD LOCOS
Theolog. B. Chemnitii,
DISPUTATIO III.

Ex quâ
De
NOTITIA DEI NATU-
RALI, ET REVELATA;

Præside
JOH. BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.
Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ
Ecclesiaste;

Respondente
JOHANNES CHRISTOPHORO LICHTNERO, Nymizenfi,
Philolog. & SS. Theolog. Stud.
X. Februar. Anni 1648.
disputabitur.

LIPSIAE,
Typis HENNINGI COLERI.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
MICHIGAN
ANN ARBOR, MICH.
JAN 10 1954
JOHANNES DELMONT
KUNST- u. ARCHITECTUR-
LEHRE
VON
JOHANNES DELMONT
PROFESSOR DER ARCHITECTUR-
LEHRE
AN DER UNIVERSITÄT
ZU GIESSEN
1785
LITZKE
Typ. Henning & Co.





Ad

Dominum Respondentem.

Lichtnere, quando Numen amabile,
Insanientis quod sapientia
Consultus infando furore,
Grege negat, asseruisse gaudes,
Ducente promptam Carpzovio manum:
Quo te feremus nomine, quo cata
Mentis labores? Nempe verus
Theologia Studiosus audis,
Et Verbi, & alma, qua dominum refert,
Natura amator. Scilicet utraque
Hæc pagina evolvenda nobis,
Quos juvat esse Dei-peritos.

Fac.

M. Fridericus Rappolt, SS. Th. Bacc.
Facult. Philos. Asses. & Sch. Thom.
ConR.

Ballata

An den Herrn Respondenten.

Du willst dich zwar an ein Geheimniß machen;
Es ist zu hoch: mein Liebtner / wag' es nicht /
Wer

Wer da den Kopff zerbricht /
Und grübeln wil / ist billich auszulachen.
Was Hugo Grot / und Morne aus den Schrifften
Des Heydenthumbs erklärt /
Das bleibt in seinem Werth:
Allein es kan hier Plato nichts ergründen /
Wie solt' er denn ein solches Denckmahl stifften:
Der Mensch wird gefähr /
Der Gott zusehn begehrt:
Natur / Vernunft und Weisheit muß verblinden.
Doch seh' ich dich die rechten Wege finden:
Was Schmalzen träumt / was Schlichting fantas-
tasiert /
Das hast du durchstudiert.
Fahr also fort / du kömmt zu grossen Sachen.

Caspar Ziegler.



41.
L O C U S I.

De
Dei notitiâ, essentiâ, attributis &
operibus.

Quæ à Chemnitio in Loco de Deo traduntur, ad tria astringi
possunt capita: quorum I. de Notitia Dei agat: II. Essentiam
& attributa Dei exponat. III. Unitatem essentia asserat: & IV.
Opera Dei in genere explicet.

CAPUT I.

DE NOTITIA DEI.

I. Doctrina de Notitiâ Dei in Loco de Deo,
primum locum obtinet. Chem. p. 46.

§. 1. Notitia Dei, hâc locô non intelligitur *subjectivè*, & pro-
ut illa in Deo est, proprietas scilicet Dei viventis, secundum
quam omnia, & singula Entia realia, & rationis distinctè, & evi-
denter cognoscit; sed *Objectivè*, prout de Deo est, ac de Deo con-
cipit noster intellectus, sicut & *Theologia* vocabulum in commu-
ni suo usu, non ipsius Dei sermonem, sed conceptum, aut ser-
monem de Deo significat, quod *Augustinus I. IIX. de Civ. Dei c. I.*
p. 438. notavit.

§. 2. Et quidem prima, ac summa cura hominis est & de Deo
scire, & veram de Deo doctrinam cognoscere. *Hac enim notitia est*
vita æterna Job. XVII, 3. hoc est, ducit ad vitam æternam. Et præ-
terea Deus hâc fine Genus humanum condidit, ac deinde à Satanâ
perditum per Filium redemit, ut homo imago Dei, ac templum
Deum celebrans esset. Sicut etiam præstantissimum hominis, in
Integritatis Status opus fuisset, Deum agnoscere, & celebrare;
ita & nunc non majus, aut melius homo agere potest, quàm
verè Deum agnoscere, & invocare, *Ps. CXIIX, 17.* Chemn. p. 46.

§. 3. Omne tamen hoc *en néps* tantùm præstare possumus,
quod *Apostolus* confitetur *I. Corinth. XIII, 9.* Ut audax nimis, ac
A in.

Disp. III.
Respondente
Job. Chri-
stophoro
Lichtnero,
Nymizensa-
Bohemo.



inlana fuerit gloriatio *Ætii Diaconi Antiocheni*, heretici IV. seculi, quando in hæc verba erupit: *Sic scio Deum, & adeò ipsum scio, atq; novi, ut ne me quidem magis noscam quàm Deum.* Quam ejus discipulus *Eunomius* non minori jaçantia adauxit, dum gloriabatur; *Se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam substantiam Dei exactè scire, eandemq; de Deo habere cognitionem, quam ipse de se ipso habeat Deus, quod Theodoret. l. IV. heret. fabul. f. 976. refert. V. Centur. Magd. Cent. IV. f. 391.*

§. 4. Non verò sine causâ *Chemnitius* de Notitiâ Dei quæstionem formavit. p. 46. Neque enim tam quæritur (1.) *An sit Deus?* & (2.) *an suo modo possit cognosci? quàm* (3.) *unde constet, & cognoscatur esse Deum, ac quomodo in notitiam ejus deducatur homo?* id quod etiam olim *D. Gravverus* in *A. C. art. de Deo*, p. 73. observavit, & *Dn. Schroderus* in *Opusc. de princip. Theol. & Notit. Nat.* p. 176. ubi statum quæstionis ita proponit: *Atheus negat esse Deum, quomodo igitur indicavit se Deus? & unde constat, quòd sit Deus?*

II. Notitia Dei est duplex, una naturalis, altera revelata.

§. 1. Pendet hæc distinctio ex distincto principio, quod est duplex Dei Revelatio; una in naturâ hærens, altera verò in Scripturâ, quæ vocat' *εφοχιν* Revelatio Dei appellari solet. Etsi enim ea quoque, quæ per naturam de Deo scimus, etiam Deus per naturam, & in naturâ revelavit, ut *Paulus Rom. I. 19.* loquitur; excellentiori tamen gradu, & usitatus illa Revelatio, quæ per Verbum facta est, hoc nomine venit, ut ex toto *Codice Sacro* id manifestum est, unde & notitia, quæ ex Verbo est, *revelata* nuncupatur.

§. 2. Hinc res una & Objectum unum potest simul credi & etiam evidenter cognosci; Ac proinde non tantùm scitur, ac evidenter cognoscitur fide humanâ, Deum esse; sed etiam fide divina id creditur, interprete Apostolo *Ebr. XI. 6.* priore modò ex naturâ, altero verò ex Scripturâ: priore, ut dogma naturaliter notum; posteriore verò modo, ut dogma fidei est.

§. 3. Hoc non modò tot ferme verbis tradit *B. Meisn. part. III. Phil. Sobr. sect. I. CII. q. 7. pag. 694. 695.* sed etiam gravissimis verbis

bis idem explicant Domini *Theologi Witteberg. contra Schradern*
 p. 120. Verba sunt digna, quæ huc transferantur: Gott glauben und
 Gott wissen ist nicht wieder einander, dann solches nirgend geschrie-
 ben stehet. Das Gegentheil ist dartin klar, weil die Heyden, ehe
 sie das Evangelium gehört, und an Gott gegläubet, gleichwol
 Gott erkant haben, Rom. 1. v. 2. ungeachtet, der Christliche Glaube
 ihm diesen Grund gesetzt, daß ein Gott sey. 2. Auch sind etliche
 Dinge, welche beydes sind *Frigitæ & πῖστῶ*, die man zugleich aus
 Gottes Wort gläubet, und aus den fünff Sinnen und andern docu-
 mentis her weiß, als, daß Christus Jesus gelitten hat unter
 Pontio Pilato, gecreuziget, gestorben und begraben, auffgefahren
 gen Himmel. Welches alles Glaubens- Articul sind, und doch
 von den H. Aposteln mit leiblichen Augen gesehen worden. Und ist
 von diesen Dingen dieser Unterscheid richtig, was von Göttlichen
 Sachen in heiliger Schrift gelehret wird, das nimbt der Glaube
 an: was anders woher erkant wird, das nimbt scientia oder schlech-
 te Wissenschaft auff, da es nicht schadet, ob eines zugleich aus dem
 Göttlichen Wort gegläubet, und durch andere Wege erkennet wird.
 Wie S. Johannes des HERRN Christi Leiden und Todt wußte,
 aus dem, daß ers selber unter dem Creutz angesehen, er gläubete aber
 dasselbige, dieweil es die Propheten verkündigt. Summa, der
 Glaube kömmt ex autoritate Dei dicentis, dieweil es Gott saget:
 Die Wissenschaft ex aliis documentis, aus andern Anzeigungen.
 Wie aber nicht widerwertig ist, daß etwas zugleich aus Gottes
 Wort und andern documentis erkant werde, also ist nicht ungeret-
 met, daß man ein Ding zugleich wisse und gläube.

III. Notitia Dei naturalis est cognitio Dei, & rerum divinarum, orta ex principiis naturalibus.

§. 1. Hæc Notitia, utut naturalis est, tamen est vera, & hoc no-
 mine etiam ab Apostolo insignitur Rom. I, 18. & 25. Ac non debet
 confundi cum Gentilium Theologia fabulosâ, physicâ, & civili, de
 quâ D. Klotzius in Theol. natur, Diss. II. totâ, latè tractat. Hæc
 enim Gentilium Theologia nihil aliud est, quàm prava applicatio
 notitiæ naturalis, ubi non intra justos terminos se illi continet.

runt, sed ab eo, quod cognoverant, deflexerunt, & in idololatriam, sive falsitatem istud commutârunt, & ita injustè veritatem hanc derinuerunt.

§. 2. *Aristoteles l. VI. Ethicor. c. II. & l. VII. c. 5.* distinguit inter ἔξω, καὶ κτήσιν ἴπισήμης, habitum & possessionem scientiæ, & inter χρῆσιν ἴπισήμης, usum scientiæ. Cui gemina distinctio est cap. 10. l. XIII. *Metaphys. διχῶς λέγομεν τὸ ἐπίσασθαι καὶ γὰρ, ἔχων μὲν, & χρῶμενος τὴ τῆ ἐπισήμη, καὶ ὁ χρῶμενος λέγεται ἐπίσασθαι.* Duobus modis scire dicimus: tam enim dicitur scire, qui habet scientiam & cæ non utitur, quàm qui utitur. Ἡ μὲν ἴπισήμη, ὡσπερ καὶ τὸ ἐπίσασθαι, δίττον ὦν τὸ μὲν δύναμις, τὸ ἧ ἐνέργεια. Scientia, sicut & scire, duplex est; quorum aliud est potentia, aliud operatio, seu muneris functio. Ἐξίς tantum est, quando quis habitu scientiæ præditus, eò tamen non utitur: χρῆσις autem est muneris functio, seu operatio, quæ ab habitu manat, cum quis & habitu scientiæ præditus est, & eòdem utitur. Illa *Græcis Interpretibus* dicitur ἐντελέχεια πρώτη, hæc δευτέρα ἐντελέχεια, secundus actus scientiæ dicitur.

§. 3. Hanc distinctionem negligere non possumus, si explicari rectè velimus, quomodo gentiles & sciverint, & ignorârint verum Deum. Notitiam illis tribuit Paulus. Hæc scientia erat habitualis. Sed illa ipsa notitia erat conjuncta cum ignorantia in exercitio, dum id, quod cognoverant, non applicabant ad verum Deum, sed attributa, & essentiam, quæ de Deo noverant, falsis Diis tribuebant. *Aristoteles l. II. prior. Analyt. cap. 21.* nominat ἀπίτην κατ' ὑπόληψιν, deceptionem ex falsâ subsumptione. Majori hanc sciverunt Gentiles; Est Deus, & ille est unus, verus, bonus, justus, effector, & gubernator hujus Universi; Verum non subsumserunt, & ad Deum Israël applicuerunt, sed essentiam, & attributa Creaturis tribuerunt. v. g. Soli, Lunæ, &c. Et ita falsam subsumtionem substituerunt: Sol, vel Luna, vel Mars, sunt ille Unus, verus, bonus, justus &c. Et propterea falsam intulerunt Conclusionem: Ergo Sol, Luna, Mars &c. sunt verus Deus.

§. 4. Et hinc lux infunditur controversiæ gravissimæ & Him inter Schillingium ac Schraderum ex unâ parte, & inter Dn. Theologos Wittebergenses, ante viginti annos agitæ. Non enim Contradictoria sunt, uti quidem Schillingius & Schraderus putabant,

bant, verè Deum scire, & Deum ignorare: utrumq; enim in eodem ob-
 jectò contingere potest, sed diverso respectu, & potest aliquid sciri
 habitu & universaliter, sed ignorari particulariter & in exercitio.
 Huc pertinent omnes errores artificum & politicorum. Ita sci-
 entiam tribuit suis discipulis Christus Job. XIV, 4. quæ tamen in
 exercitio conjunctam habebat ignorantiam, ut confitetur v. s.
 Thomas. Et ita etiam gentes sciverunt verè Deum, notitiâ habi-
 tuali, & confusâ: sed ignorarunt in exercitio & notitiâ speciali.

IV. Notitia Dei naturalis duplex est: Una
 ἐμφυτῶ, & Inſita; Altera ἐπιτυτῶ, & acqui-
 ſita.

Hanc distinctionem notitiæ naturalis docet noster Chemni-
 tius pag 46. & ex, ac cum eo eandem exponunt, ac propugnant
 Dnn. Theologi VVitteberg. in der streitigen Frage contra Schilling.
 pag. 6. in der fernern Erklärung contra Schraderum p. 32. Hutter. in
 Locis fol. 89. Gerhard. in T. I. de Nat. & attr. Dei pag. 193. Et in Exe-
 gesi p. 662. Mentzerus Tom. III. Marburg. Disp. III. th. 6. Schroder.
 in Opusc. de principio Theol. & Notit. Naturali Dei, p. 179. seq. D. Bal-
 duin. in Epist. ad Rom. p. 80. 81. B. Meisnerus l. III. de Legibus quest.
 I. p. 178 seqq. Nic. Hunnius c. 2. Exam. Error. Photin. Error. I. D. Wal-
 tberus in Quaternione Dissert. Sacrar. p. 266. seqq.

V. Notitia Dei naturalis *inſita* est habitua-
 lis impressio, & omnibus gentibus communis
 impetus, per quem mens, vi quâdam occultâ, ra-
 pitur, cogitur, & impellitur ad cognoscendum &
 venerandum Deum.

§. 1. Ita ex Chemnitio eam definimus, si præsertim Philippi ver-
 ba ex Locis jungamus. Neque enim eam exhaurit δύναμις
 κρητικὴ, seu facultas illa intellectualis, quæ hominem aptum red-
 dit ad apprehendendum aliquid, & sese exerit, quam primum u-
 sus rationis accedat, quod B. Meisnerus l. III. de Legibus, quest.
 III. p. 164. seqq. B. Nicol. Hunnius in Examine Error. Photin. p. 152.
 & Gerhard. in Exeges. de Nat. & attr. Dei. p. 667. ostenderunt.

§. 2. Probat verò eam *Chemnitius primò ex Rom. I, 19.* Verba Apostoli hæc sunt in græco textu : τὸ γινώσκον ἔστι θεὸς φανερόν ἐστιν αὐτοῖς. Ubi tùm *Subiectum*, tùm *predicatum* probè attendi debet. *Subiectum* est τὸ γινώσκον ἔστι θεὸς, quod omnium optimè vertit *Lutherus*: Daß man weiß/ daß ein Gott sey. Loquitur enim Apostolus non indefinitè, & de omnibus, quæ de Deo sciri possunt, sed *de eo*, quod naturaliter de Deo scitur, & sciri potest, & ex quò omnes gentes Idololatriæ crassæ redargui possunt, unde nec γινώσκον vocem usurpat, sed *Adiectivum Neivrum* ad significatum substantivum trahit, sicut *Rom. II, 4.* τὸ χριστὸν ἔστι θεὸς est. De hoc γινώσκον enuntiat, esse id φανερόν ἐστιν αὐτοῖς, quò relativò ad gentes respicit, non ut *converse* erant, sed ut adhuc in *Ethnicismo* hærebant; & quidem non ad sapientiores ex illis tantùm, qui rationari possunt, ac colligere ex effectis causam, sed etiam *Omnes*, quicumque sint. In his manifestum id esse dicit, non prout *objectum* sunt, in quò Deus velut in speculo suo, & imagine conspiciatur: neque prout *Subiectum adhesionis* sunt, vel *adherentia*, inter quas τὸ γινώσκον istud sive per disputationes Philosophorum, sive per prædicationem Apostolorum vigeat; sed ut *subiectum inhesionis* huius ἔστι γινώσκον sunt, & ipsorum mentibus ac cordibus id revelatum est, ac implantatum à Deo. Non equidem negamus ἐπι αὐτοῖς quandoque denotare apparentiam externam, omnibus, & inter omnes manifestam & conspicuam, *I. Corinth. XI, 19.* *I. Timoth. IV, 15.* Sed tamen hoc loco etiam hunc obtinere significatum non statim sequitur, ob argumenta, quæ urget *B. Meisn. l. III. de Legibus, quest. I p. 131 seqq.* Unde *Hieronymus* exponit, in conscientis ipsorum. *V. Balduin. in Comm. ad h. l. p. 80.* Et cogitandum est, non sine causâ, ac emphasi peculiari, ita loqui voluisse Apostolum, sed eo significare, non minus intus, & in corde, quàm extus, & inter homines apparere τὸ γινώσκον ἔστι θεὸς. adeò ut si quis etiam auribus, & oculis careret, & nec audire creaturam, nec legere in eâ posset, tamen non effugere eum posse hanc notitiam, & hunc instinctum, ac impetum naturæ suæ. Confert cum hæc phrasi *Chemnitius p. 48. textum Ador. XVII, 27.* Non longè ab uno quo.

quoque nostrum abest: quem ita explicat; In nobis ipsis vult vestigia divinitatis considerari.

§. 3. Deinde quod τὸ γινώσκον sit in mentibus, ac cordibus hominum sibi relictorum, non per potentiam tantum Κρηλικὸν, sed etiam habituales Impressionem, probat Chemnitius ex altero textu Rom. II, 15. ex quo sic argumentari possumus:

Quicumque naturam in corde suo inscriptam habet legem, & non tantum novit naturam, quae legis sunt, sed etiam ea facit; & qui in corde naturam habet cogitationes se invicem incusantes, & excusantes, ille per impressionem habituales novit esse Deum.

Homo sibi relictus naturam in corde suo inscriptam habet legem, & novit etiam naturam non tantum quae legis sunt, sed etiam facit; habet insuper in corde cogitationes se invicem incusantes, & excusantes:

E. Homo sibi relictus per impressionem habituales novit esse Deum.

De Gentilibus agere Apostolum, & quidem sibi relictis, ac nondum conversis ex v. 12. & 14. adeo certum est, ut nil certius. De talibus enim loquitur, qui ἀνόμως peccant, & legem non habent, id quod de Conversis, aut regeneratis dici non potest. Hoc est non habere legem (scilicet praescriptam, ut Judaei, Exod. XIX, 20.) testatur Apostolus, & tamen quae legis sunt (aliqua legis, non totam legem) naturam (non informatione, aut imitatione, ut Judaei, sed per naturam, & à nativitate, Eph. II, 3. Gal. II, 15. Rom. II, 27. unde φῶς nos διδάσκειν dicitur, I. Cor. XI, 14. quod non per institutionem habemus: & φωνὴν sciri dicuntur ea, quae non per informationem habentur, Epistol. Jud. v. 10. Arminianorum fallaciam compositionis, & divisionis, per quam vocem hanc ad subjectum referunt, & à praedicatione avellunt, ex contextu monstrat Dn. D. Hülsemann. Disp. II. de grat. convers. cap. I. memb. XV. §. 7.) facere, eoque testari opus Legis, ἔργον νόμου (non literas tantum, aut syllabam, sed realem, veram, ac operosam quondam γινώσκον legis) esse inscriptam ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, in cordibus ipsorum. Ubi ipsa operatio, seu legis executio, & legis inscriptio seu possessio, tanquam
prim-

principium, & principiatum distinguuntur, & ejusmodi phrasid usurpatur, quæ non nisi firmissimam, & intimam impressionem habitualement notat, sive per *generationem* illa fiat *Jerem. XVII, 15.* sive per *regenerationem*, *Proverb. III, 3. cap. VII, 3. Jerem. XXXI. 33. Ebr. II, 10. II. Corinth. III, 3.* Hæc locò verò ejusmodi impressionem notat, quæ naturâ, & per *generationem* fit, & ad bonum naturale, & civile reliqua est in homine corrupto respicit, de quo V. Dnn. *Theol. Witeb. contra Schrad. p. 168.*

§. 4. Hinc non existimari debet, ullum esse hominem, qui per naturam, & speculativè sit ætæ, & qui solum naturæ lumen secutus, secum sentiat serid, non esse Deum. Fieri quidem potest, ut Practicè id aliquis ignoret, & Deum quidem cognoscat, sed non ut Deum glorificet, *Rom. I, 21. Fit enim frequenter, Hilario in Psal. LII. fol. 398. Edit. Basil. monente, ut nos cum veri necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat.* Quin imò fieri potest, & sæpè etiam contingit, propter frequentem abusum, & suppressionem luminis naturæ, & ob scelera contra naturam, & *συντέπειν* commissa, justo Dei iudicio nonnullos ità indurari, ut ipsis diabolis deteriores fiant, & neque sentiant, neque intelligant esse Deum, donec supremis suppliciis in inferno subjiciantur. Sed ob hoc non ipsa inscriptio, & implantatio notitiæ Dei negari potest, propterea, quòd non per naturam, sed malitiam, & non tam eam, quæ omnium naturæ inheret, quàm quæ asciscitur, & magis, magisque contrahitur in vita, hæc omnia fiant; Atque ita notitiæ insitæ suppressionem, non verò defectum omnimodum arguant.

VI. Notitia *acquisita* est cognitio Dei, quæ ex actuali contemplatione operum Dei in creatione, & vestigiorum illorum Divinitatis, quæ sparsa sunt in tota rerum naturâ, colligitur seu per discursum mentis comparatur. *Chemn. p. 48. 49.*

§. 1. Hoc totidem verbis Apostolus *Rom. I, 20.* asserit, ubi *Græcorum verborum versio*, prout illa à Chemnitio nostro annotatur, in tanta diver-

diversitate interpretum præ cæteris advertenda est. Sunt ex Interpretibus nonnulli, etiam qui Socinianam corruptelam in cæteris averfantur, imprimis Calvinista, Piscator, Pareus, Drusius, Beza, Laurentius in Paulo δυσνοῦντ. p. 9. qui illa verba, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, de temporis adjuncto accipiunt, & durationem notitiæ hujus inde à condito mundo, denotari volunt; sed noster Chemnitius rectiùs cum Chrysostomo, Theodoro, & Theophylacto hæc verba objectivè accipit, & de creaturâ mundi seu operibus creationis exponit, ex quibus tanquam mediis ad id à Deo paratis, τὰ ἀρχαῖα ἔργα (scil. & αἰδίου δυνάμεις καὶ θεότης, uti exponit Camerarius in notis ad N. T.) τοῖς ποιήμασι νοδόμενα, dum ex eorum scil. operum, Creatione, gubernatione, conservatione ac administratione, discursus ac illatio & collectio super illa instituitur, καὶ ὁρᾶται pervidentur. Pro quâ explicatio ne, quæ Lutheri etiam est, militat.

(1.) Scripturæ Sacræ indoles, quâ Spiritus S. non tantum Præpositionem ἀπὸ sæpè addere objecto, unde cognitio hauritur Matth. VII, 16. 20. cap. XXIV, 31. cap. XXVII, 32. Marc. XIII, 28. Matth. XI, 29. (Unde & Henricus Stephanus in Thesuro in vocula ἀπὸ T. I. f. 490. multis exemplis probat, ἀπὸ & ἐκ indifferenter sumi, quod in Matth. XXVII, 9. 21. etiam Beza observavit;) verùm etiam tali phrasi tempus conditi mundi denotare nunquam solet, sed aliis phrasibus utitur, ἀπὸ δεξιῆς κτίσεως Marc. X, 6. c. XIII, 19. II. Pet. III, 4. ἀπὸ καθ' ἑαυτῆς κτίσεως, Matt. XXV, 34. Ebr. IX, 26. (2.) parallelus locus Sap. XIII. 4. in quò de admiratoribus luminarium cœli Sapientis dicit: νοησάτωσαν ἀπ' αὐτῶν πῶς ὁ κατὰ σκευάσεις αὐτῶν συνάτω γερὸς ἐστίν. (3.) Vocabuli κτίσεως conditio, quod nullibi de ipsa Creationis actione, simpliciter & propriè sumta, ut plurimum verò de operibus creationis usurpatur, Marc. XVI, 15. Rom. I, 25. II. Cor. V, 17. Galat. VI, 15. Coloss. I, 15. 23. Ebr. IV, 15. Quæ argumenta sunt B. Gerhardi in Exegeti de Nat. & attr. Dei pag 684. & fortius concludunt, quàm alterius sententiæ fundamenta, à Laurentio l. all. in Compendio adducta.

§. 2. Idem ex luculenta probatur concione Pauli gemina, unâ Lystræ Act. XIV, 15. seqq. alterâ Athenis in medio Areopago Act. XVII, 22. seqq. habitis. Ibi enim verbis Emphaticis & per

Catalogum quendam, vestigia Dei in creaturis posita enumerat, in quibus Deus sese revelaverit, & quorum aspectus etiam ex intentione Dei omnibus hominibus incentivum esse debuerit, ad ulteriorem indagacionem veri Dei, & ad quærendum verum Invocationis & glorificationis modum. Hinc *Licaonio-Lystrenses* Apostolus cōvincere volens culpæ maximæ, in eō hærentis, quòd non solliciti essent de Vero Deo inquirendo, ita inter cœtera illos alloquitur: *In præteritis ætatibus* (ante publicationem Evangelii) *sinebat omnes gentes ingredi in viis suis* (quantum ad gratiosam collectionem & revelationem attinet, quæ per Evangelium fit, quod post ascensionem Christi demum omni creaturæ solenniter prædicare sivit, *Marc. XVI, 15.*) *quanquam non expertem testimonii seipsum sinebat.* (Non omni testimonio Dei caruerunt, ut n. verbò caruerint, tamen omnibus Creaturis Deus vestigia sui ipsius indidit, ex quibus & oculi & manus, imò omnes sensus percipere potuerunt ac debuerunt, esse Deum) *dum beneficia confert de cælo &c. Actor. XIV, 15, seq. & Actor. XVII, 23* occasione *Altaris* inventi, cui inscriptum erat *ἀγνώσω θεῶν* (cujus *ἐπιγραφή* ratio nem latè exposuit *Klotzius in præfat. Theoi. natural.*) ostendit & exprobrat Apostolus *malitiam & culpam Atheniensium*, ac non denegat illis notitiam Dei, sed saltem crassæ alicujus ignorantia vel neglectus notitiæ eos arguit, ex eo, quòd media nunquam defuissent illis, ex quibus & quorum beneficiò quærere, palpate & invenire tandem Deum potuissent, si *ab effectis ad causam primam, per analysin argumentari*, indeque occasionem sumere voluissent ulterius inquirendi in illa media, ex quibus specialius & ad salutem hominum, Deus cognosci potest.

VII. Utraque Notitia partim est *nulla*, partim *imperfecta*, partim *languida*. *Chemn. p. 47. 48.*

§. 1. Ita enim de Notitia Dei naturali determinandum est, ut ex *unâ parte* non negetur & planè ex mentibus hominum nobile hoc depositum relegetur; ex *alterâ verò parte*, justo altiùs non elevetur, & in revelatæ notitiæ præjudicium, eidem aliquid *salvificam* tribuatur.

2. *Nulla*

§. 2. *Nulla est Notitia Naturalis in (1.) mysterio Trinitatis, quod omnem rationem fugit, adeò, ut nec vestigia ejus in natura reposita, & potius conjecturæ, quàm vel probabiles saltem demonstrationes sint, quæ à nonnullis allegari solent. (2.) In Voluntate Evangelica, quæ est de gratuita remissione peccatorum, quam Filius revelavit Johan. I, 18. Matth. XI, 27. I. Cor. I, 21. c. II, 7. (3.) In Operibus Dei tam ad intra, qualia sunt generare, spirare, quàm ad extra, iisque vel internis, ut sunt decreta Dei; vel externis specialibus, ut sunt redemptio, sanctificatio resuscitatio ex mortuis &c.*

§. 3. *Imperfecta est hæc notitia (1.) quoad Dei descriptionem. Non enim quis sit Deus determinat distinctè, sed tantùm quòd sit & qualis ille sit, aliquà ratione designat. (2.) quoad cultum divinum. Ut ut enim colendum esse Deum, animo hominis infixum sit per naturam, tamè, qua ratione ille colendus sit, & imprimis intus & in mente ac animo nostro, nihil novit, internas cupiditates pro peccato non habet, quin imò externo cultui multa ἀτοπία καὶ παράδοξα admiscet, propter corruptionem adhaerentem. V. Th. Witteb. in der fernern Ausführung pag. 31. (3.) quoad operationes externas Dei generales, qualis est Creatio. Hanc Philosophiam ignorare Chemnitius dicit pag. 278. Sed loquitur non de efficientia ipsa creaturarum, sed de ejusmodo qui Creatio est & productio rerum creatarum ex nihilo. Nam efficientia Creaturarum ex naturæ lumine omninò habetur & cognoscitur; Ita enim Aristoteles l. XII. Metaphys. ait: ἐκ θεῶν πάντων φύσις καὶ πᾶς ὄργανός ἤρτηται. Et l. 2. de generat. συνεπλήρωσεν ὁ θεὸς τὸ ὄλον. Quà ratione autem cum efficientia hæc comparatum sit, & quomodo effecerit Deus omnes creaturas ab initio, id non nisi fidei est, quæ revelationi in verbo factæ, id debetur.*

§. 4. *Languida est hæc Notitia, non tantùm quoad assensum, qui multis horrendis dubitationibus infestatur, sed etiam quoad usum, & dum applicatio fieri debet, ubi variam contaminationem deprehendere licet. Chemnitius p. 48. ex Ciceronis propriâ confessione id probat; & addi possunt fabule gentilium, Idololatria,*

tria, & quæ alia sunt indicia & documenta sufficientissima, languoris notitiæ naturali adhærentis.

§. 5. Et quia taliter comparatum est cum notitiâ naturali, distinguunt Theologi nostri semper, inter *notitiâ Dei generalem indeterminatam & confusam*: ac inter notitiam *distinctam ac specialem*. Et priorem quidem præter & extra verbum dari concedunt, de quæ illa omnia intellecta volunt, quæ de notitia naturali disputant: *Posteriores* verò non nisi ex *Scriptura* haberi docent. Unde & hoc respectu ac in sensu comparativo gentes ignorare Deum dicuntur. *Vid. Theol. Witteb. contra Schilling. p. 6. 7. 28. & contra Schrad. pag. 26. seqq.*

II X. Per Notitiam Dei naturalem nemo quidem salvatur, sed tamen propterea non frustra illa in homine est. *Chemn. p. 50. 51.*

§. 1. Extra Christum non est salus, & non nisi per Christum venit ad Patrem, *Johan. XIV, 6.* quod latè contra quosdam Patres, contra Scholasticos, contra *Erasmum*, contra *Zwinglium* ejusque generum *Rudolph. Gualtherum*, ostenderunt *Chemn. part. 1. Exam. Concil. Trident. ad sess. VI. pag. 108. seqq.* B. Gerhard. in *Exeget. de Nat. & attrib. Dei §. 81. pag. 691. seqq.* D. Lyser. in *Disput. de Relig. Academica D. 28. seqq. pag. 15. seqq.* Hulsemann. *disp. II. de auxil. grat. cap. 1. thes. V. & seqq.* Obvertitur quidem nobis etiam B. Lutherus à *Paræo* in *Iren. cap. 28.* & *Pelargo* in *Comp. correcto p. 289.* item à *Laurentio* in *Paulo δὲ σὺν τῷ π. 19. 20.* quod scripserit, *se sperare, Deum Ciceroni & aliis similibus propitium futurum.* Sed quæ mens Lutheri fuerit, ex *Tom. II X. Germ. Jen. fol. 175. & comm. in cap. XLVII. Gen. fol. 633.* cognosci debet. Quod autem ex *sermonum Convivalium cap. 20.* adfertur, non de ipsâ salute, sed de *mitiori penâ*, cujus gradus omnino etiam in inferno dantur, capiendum est. Nemo enim dicet, æquali supplicio *Socratem & Cambysem, Senecam & Neronem* vel affectos esse, vel affectum ^{scien. ter.} ~~esse~~. Videatur B. Bald. in *Examine Compendii Pelargiani §. 81. seqq.*

§. 2. Aliæ causæ à nostro *Chemnitio* allegantur, ob quas Deus notitiam post lapsum in natura hominis reliquam fecit, inter quas

quas (1.) est, ut *disciplina externa* consuleret, quàm omninò in gentilibus moderatur notitia hæc, quod exempla Virtuosorum gentilium comprobant: (2.) est, ut *incitamentum* haberet homines omnes, ad quærendum Deum. Hoc probat *Chemnitius ex Ador. XVII, 27.* ubi ἑλλησιν particulæ ἐνεκα observat, & acutè exponit distinctionem inter *ipsum cultum* & *indagationem cultus*, ostenditque, quomodo non ex notitia naturali hac, *ipse cultus divini modus* proficiscatur, sed saltem *indagatio ejus*; & non tam in se velle Deum omnibus hominibus notitiam hanc, ut *colerent eum*, quàm *ut cultum quærerent*, & in ipsum cultus modum inquirerent. Sicuti enim in ipsam Dei naturam omni ex parte, & ejus voluntatem, prout ad salutem necessarium homini est, notitiâ hâc naturali penetrari non potest: Ita nec de Dei cultus, ejusque modo inde constare poterit, quomodo simpliciter is velit coli, sed tantum *impetus & instinctus ad ulteriorè progressum* in notitia Dei inde proficiscitur, unde accessus ad Ecclesiæ pomœria promoveri debet, ubi solùm ex peculiari Verbo specialiter cognoscuntur, quæ ad salutem necessaria sunt, & ex notitiis naturalibus ac etiam creaturarum ad spectu, vel planè non, vel saltem confusè & imperfectè, & non sine languore, ac cum difficili applicatione, apprehenduntur.

§ 3. Atque ex neglectu hujus intentionis Dei & pravo usu notitiæ naturalis ac culpâ hominis, evenit ἀναπλογία, quæ à *Chemnitio tertia causa* appellatur, ob quam omnium hominum mentibus indiderit Deo, sui notitiam. Intelligitur autem *finis à Deo per voluntatem Dei judicariam & consequentem intentus*, quo præscindere ignorationis excusationem in non renatis, illosq; convincere voluit, quòd non sit damnationis ipsorum causa; cum habuerint notitiam hanc, quâ incitati ad Ecclesiæ gremium se recipere & cœtera à natura sibi denegata, ex revelatione Verbi cognoscere debuissent. Quia verò neglexerunt eam, vel manifestis *flagitiis* implicati, vel gravibus *affectibus* propriis agitati, vel *caligini mentis* indulgentes; (Hi enim *tres ordines* sunt hominum ἐν ἀδικίᾳ τὴν ἀλήθειαν κατεχόντων *Chemn. pag. 51.*) sibi metipsis culpam suæ perditionis tribuere habent necesse. Et ita Deus reddere dicitur homines inexcusabiles non *infundendo cæcitatem* istam a scititiâ mentibus, sed *cōvincendo eos hujus malitiæ propria*



§4.

culpa contracta. Quos enim beneficio notitiæ hujus ad se voluit adducere, illos occasione hac abutentes, justè postea propter abusum hunc condemnat.

IX. Et hujus notitiæ naturalis *usus* etiam locum suum in Ecclesia apud *regentos* habet. *Chemn. p. 52.*

§. 1. Quando scilicet (1.) mens renati prius ex Verbo Dei ritè informata & corroborata est; & (2.) naturalis revelatio revelatæ in Verbo, *subordinatur.* Nimirum Notitia *naturalis* & *revelata* non pugnant invicem & dissentiunt in sese; sed per abusum & applicationem pravam saltem, quandoque fit, ut pugnare invicem videantur, id quod omni studio caveri debet.

§. 2. Hæc quando observantur, Notitiæ hæ naturales præ ceteris nos instruunt *tùm de imaginis divinae*, olim cōcreatæ, nunc penitus amissæ, *perfectione & qualitate*, cujus *scintilla & vestigia*, ut *Chemnitius* appellat, (non verò *partes*) sunt notitiæ istæ, sicut *Domini Theologi Witteberg.* id explicant *contra Schraderum* in *der fernern Ausführung p. 133. seq. tùm de extrema corruptione nostri*, per quam notitia Dei non *depravata* modò sit, scil. in illis *objectis*, quæ naturaliter à nobis apprehendi & applicari possunt; sed etiam *planè extincta*, quoad *objecta salutifera* & quæ ad salutem nobis cōferunt.

X. Notitia Dei *revelata* est cognitio Dei & rerum spiritualium in *Verbo* patefacta ad salutarem Dei agnitionem & salutem hominum accommodata. *Chemn. p. 53.*

§. 1. Differt hæc notitia revelata à naturali (1.) in *principio proximo*: Uti enim *prioris*, de quâ jam diximus principium, est natura in quâ hæret & per quam acquiritur: ita *hæc* ex peculiari Dei gratia venit, ac non nisi ex Verbo Dei peculiariter revelato, pendet, *Job I, 18. Matth. XI, 25. I. Cor. I, 21.* quos textus *Chemnitius* allegat & ex illis principium revelatæ notitiæ probat. (2.) in *Objecto*. Cum enim naturalis notitia occupata saltem sit circa ea, quæ naturâ nota sunt, & quæ naturaliter etiam capere & assequi intellectus noster valet: *hæc*, Revelata sc., altiùs ascendit, & ad ea etiam per.

pertingit, quæ tantum abest, ut naturali lumine cognosci à nobis possint, ut etiam incredulis ne vera quidem, sed absurda appareant. Unde *Chemnitius* textus *Galat. IV, 8. I. Cor. I, 31.* non tantum *privativè* exponit de prava applicatione notitiæ naturalis, per quam gentes desipuèrunt, in Injustitiâ eam detinentes, ac in falsitatem transmutantes; sed etiam *negativè* de carentia notitiæ revelatæ & veræ sapientiæ, quæ mysteria pandit, & ad ista ducit, quæ salutem æternam adferunt nobis. (3) *Fine* etiam *adequato* differt. Quanquam n. & *Naturalis* ad salutis viam ducat ex intentione Dei, salvifica tamen nō est & per illam nemo salvatur: per *revelatâ* autem consequimur vitam æternam, ut *Christus Job. XVII, 3.* testatur: *Hæc est vita æterna* (inde consequuntur homines vitam æternam) *ut cognoscant te, Pater, solum illum verum Deum, & quem misisti. Jesum Christum.*

XI. Hæc notitia non certis aut ultimis seculis reservata fuit, sed ab *initio* Deus ex arcana suâ sede propter salutem nostram procedens ad homines propagavit eam, & ad ipsorum salutem, requisivit. *Chemn. p. 58.*

§. 1. Omnibus temporibus perversa illa opinio in animis hominum hæret, *quacung; religione quis Deum colit, modò id faciat bonâ intentione*, æquè Deo placere, scribit ac probat *Chemn. noster p. 54.*

§. 2. Sed uti notitia, in natura homini à Deo relicta, salutem nemini conferre potest, quod §. 1. *Theor. IIX.* assertum à nobis est: ita nec Deus unquam intendit, per illam notitiam veluti per *medium adequatum*, homines allicere ad perceptionem Beatitudinis; sed semper & omni tempore de *revelatâ* notitia. & quidem non variâ sed *unicâ* providit hominibus, ut ab *Adamo* usq; ad hæc nostra tempora, non plus vel minus *in illis quæ substantiam fidei ad salutem necessariæ, concernunt*, creditum fuerit, nec ad finem usque mundi credendum sit, quàm quod hodiè nos omnes, qui salvari credimus, oporteat credere, quod in *Trifolio veræ religionis V. T. Dn. D. Lyserus* ostendit.

XII. Peculiariter autem Deo placuit hanc notiti-

titi-

titiam hominibus infundere per *Verbum suum*, quod pri-
mum per homines Sancto Spiritu φερομένως enūciatum,
& deinde ab ejusmodi viris in literas seu scripturas rela-
tum fuit. *Chemn. p. 53.*

§. 1. In hanc rem rectè allegat *Chemnitius p. 93.* dictum *I. Cor. I. 21.* per stul-
tam prædicationem placuit Deo, salvos facere credentes. Quod enim Apосто-
lus hîc vocat *stultam prædicationē* (Græc. διὰ τῆς μωρίας & κηρύγματος, prio-
re Substantivô per Hebraïsmum pro Adjectivo positô, phrasi in N. T. multum
frequentata *Matth. XIII, 5. Rom. V, 15. XI, 33. &c.*) id v. 17. per τὸ εὐαγγελί-
ον & v. 18. per λόγον & εὐαγγέλιον exponit, ac apertè significat, se *Verbum prædi-
catum* ita appellare, nō prout in sese est, sed prout sapientibus hujus mundi
& rationi humanæ videatur; per quod autem Deus salvare velit homines,
si illi credant.

§. 2. Hoc Verbum initiô & ad annos bis mille quadringentos & quinqu-
aginta plus minus per vivam & oralem vocem propagavit, postea v. quando
pomæria Ecclesiæ dilatata fuerūt, soli hominū memoriæ noluit istud am-
plius concredere, sed ut *libris* id mandaretur, tam in V. quàm in N. T. voluit
ac jussit, ad perpetuam religionis durationem. Quod etiam hodiè tan-
quam *Canonem unicum fidei nostræ* veneramur ac colimus.


XIII. Ad hoc Verbum, suam Ecclesiam alligavit, & o-
mni tempore illi *testimonium aliquod* addidit peculiare,
in quô sese unâ cum verbo patefecit, ut in cultûs præsta-
tione semper in oculis & mēte id versaretur. *Chemn. p. 55.*


§. 1. Ita *Adam & Eva* cum promissionis Verbo beneficium *conservationis
in vita seu longævitatē* suam habebant: *Noa* habebat *arcam* *I. Petr. II, 20.*
Abraham *eductionem* ex Ur Chaldæorum *Gen. XII, 1. Actor. VII, 3.* *Jacob* li-
berationem ex multis malis, quam Filio Dei per Angelum intellecto,
tribuit, *Gen. XLIX, 15.* *Israelitæ* habebant *eductionē* ex *Ægypto*, *Exod. XII,
37* quod testimoniū *Propheta & David* in Psalmis semper intuiti sunt, *Jer.
XVI, 15. Es. XLIII, 2. Ps. CXXX, 1. XLII, 8. CXLIV, 5. 6. 7.* In N. T. omnes cre-
dentes habent *Christi crucifixionem, mortem, resurrectionem, ascensionem &
sessionem ad dexteram Patris.*

§. 2. Huic Verbo semper adhærere debet Ecclesia, & juxta istud in doctrina, Invo-
catione & cultu semet ab Ethnicis & omnibus Evangelii ignaris se jungere, id quod
David in Psalmis *CXLV, 1. CXLVII, 4.* egregiè præstat. Utq; deceteri etiam hîc nos ge-
ramus, ac nunquam recedamus ab hoc verbo, juvet nos Spiritus bonus, &
ducat nos in omnem veritatem.

AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17





Farbkarte #13

B.I.G.



4

LOCOS
I.
NATU-
TA;
VV SS. Theol.
Thomæ
RO, Nymizenfi,

